

Christ-eyfriger Seelen-Wecker/ Oder Lehrreiche Predigen

...

... Quadragesimale, Oder ... Predigen/ Deren auf Jeden Sonntag ... zwey
eingerichtet ... Zwyter Theil

Barcia y Zambrana, José de

Augspurg, 1719

Approbatio Doctoris Don Christophori Ruiz Franco de Petrosa, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76484](#)



APPROBATIO

Doctoris Don Christophori Ruiz Franco de Petrosa, Canonici
Sanctæ Ecclesiæ Toletanæ Hispaniarum Primariæ, Theologi Camaræ, & Con-
fessarij quondam Eminentissimi Domini Cardinalis Don Pascalis de Ara-
gon, Archiepiscopi Toletani, Hispaniarum Primatis &c.



X commissione Domini Doctoris Don Ferdinandi Garciae Davi-
lae, & Carrilli, Archi-Diaconi de Quadalaxara, Canonici Sancte
Ecclesiæ Toletanæ Hispaniarum Primariæ, Consiliarij Regimi-
ni hujus Archiepiscopatûs, Thesaurarij Majoris reddituum de-
cimrialium ejusdem, atque Vicarij Generalis in dicta civitate,
totisque Archiepiscopati, revidi librum cuius titulus: *Quadragesti-*
mæ Sermonum doctrinalium tomus secundus, cuius Auctor. Do-
ctor Don Josephus de Barzia, & Zambrana, oriundus è civitate Malacca, ante hac
Canonicus Insignis Ecclesiæ Collegiaræ in Monte Sacro Granadæ, Professor Sacre
Scripturæ, Visitator Generalis Archiepiscopatûs præfatæ civitatis, modò autem
Canonicus meritissimus sancte hujus Primariæ Ecclesiæ, & benè perpensis in eo
sermonibus, discursibus, & doctrinis, auditisque ijs, quos ad populum proponit,
inter omnes circumstantias, copiosasque Excellentias, quas mea tenuitas attinge-
re poterat, præ ceteris meam sibi vendicavit attentionem æqualis auctoris in di-
cendo persuadendi vis & in scribendo movendi efficacia, atque mecum ipse sum
locutus, nullibi magis quam in isto Excellentissimo ingenio consociatas inveniri
qualitates à Justo Lipsio in scriptoribus requisitas, dum dixit: *Ingenij non solum*
lumen, sed calorem. Clatitatem, & lucem doctrinæ ad illuminandos intellectus,
& calorem ad inflammandas voluntates, cum omnes sermones solummodo ad
profectum animarum colliment, quod clarè perspicient, qui hos sermones legere
voluerint, sicut & reliquos jam in lucem editos, quorum doctrina tanta movendi
vi prædicta est, ut occultam quandam efficaciam includere videatur, cui animus
se submittere quasi cogatur, non cum minori emolumento, quam cum viva voce
perorat, atque exhortatur, prout felix experientia in ista primaria civitate testa-
tur, ab eo tempore, quo Magnitudo, sanctus zelus & incomparabilis cura majoris
splendoris Ecclesiæ sua, majorisque boni spiritualis suorum subditorum Eminent-
issimum Dominum Don Ludovicum Emanuelem Fernandez Porto Carrerum Ar-
chiepiscopum Toletanum Dominum meum permoverunt de monte sancto Gra-
nada translatum super Candelabrum suæ sanctæ Ecclesiæ Primariæ pônere.

Cum nimis quam certum sit, qualitatum copiam, quibus Deus auctorem be-
nighissimum dedit, ipsum quam aptissimum facere ad ministerium Apostolicæ
prædicationis, ita quidem, ut citra erroris periculum, aut adulacionis notam dici
possit, quod in ipsis calamitosis temporibus, in queis abundant vitia, atque misé-
ria tam copiose, ita ut non alia via, quam ad Deum pro remedio recursere super-
eile videatur, prout sua ætate locutus est sanctus Augustinus ad Victorianum scri-
bens: *Plangenda sunt hec, non miranda, & exclamandum ad Deum, ut non secundum*
Aug. Epist. 122. ad Vi-
ctorianum. *merita nostra, sed secundum misericordiam suam à tantis malis liberet nos.* Divina
Providentia disposerit, ut Hispania tam insigni, ac singulari viro floreat, qui in
prædicatione Apostolica mitibus verbis, & suavitate scriptorum in sermonibus ty-
po vulgatis in corda insinuat doctrinam ad morum reformationem, Divina et-
enim Majestas hac iam sapientius usi est benignitate, quando necessitas exigit, prout
ex Ecclesiasticis præteriorum sæculorum annalibus constat. Cumque scripta
Tritem. de laudibus hæc typis mandentur, æternitate donabitur pro futuris temporibus doctrina in eis
scriptorum. contenta, hinc sapienter effatus est Tritemius dicendo; Scriptorem Prædicatoris
multis

APPROBATIO.

multis parasangis antecellere, exhortatio enim hujus cum fine orationis emoritur, cum tamen scriptoris Magisterium per secula vivat: *Major est Scriptoris pietas officio predicatoris, quia istius cum tempore perit monitio, illius perseverat per annos multos annuntiatio.*

Atque hi sermones tanta referti sunt eruditione, ac veritatibus Catholicis ab omni errore, aut abusu puris, ut unicè ad hunc tendant finem, ut animas amore DEI inflammit, atque ad currendum in suavi via virtutis permotas a præruptis vitiorum præcipitijs avertant. Cum auctor de industria copiosis in suis discursibus utatur moralitatibus eas magna vivacitate enucleando, unde admirabilis nascitur motus ad abhorrendum a peccatis, cum eodem tempore spe venie animus horrore culpæ depresso erigatur. Interdum animabus impietatem arguendo tristitiam ingredit, alia autem vice animat ad laborum tolerantiam continuò vitia infectando. Ubique condeinat superbiam, & exaltat heroicam humilitatem, charitatis excellentiā consolatur, fidelibus amorem Dei, & proximi instillando, ut hoc modo eos ab obliqua perditionis via removeat, uti haec omnia constant ex hoc opere, cui sine injuria applicari potest, quod Cafiodorus sacrī paginis adscripsit: *Modo tamen aut tristitiam persuadet, aut impietatem redarguit, aut tolerantiam predicat, aut vitia nobilitatis accusat, aut superbiam damnat, aut bona humilitatis exaltat, aut charitate plenissime consolat, aut aliquid tale commemorat, quo ad probos mores excitet, aut a nefariis cogitationibus respectu pietatis abducet.*

Atque diversi hi affectus ad utilitatem spiritualem animarum plurimū conduentes Authori sunt quasi coniuratales ob perpetuum in lectione sacra Scripturae, sanctorūmque Patrum studium, ex quibus tanquam ex puris, ac salutaribus fontibus hausit spiritum atque medullam uniuscujusque: præterea periti, curiosi que hortulani instar ex amanis scriptorum eorum arcolis fragrantissimos flores collegit pulcherrimum inde fasciculum facturus, quem nobis in quolibet libto, imo in quolibet sermone in publicum emissō præsentat, imitando illos, in quo quis excelebat: Sanctum Hieronymum in pulchro scriptorum ordine, in eradicandis vitijs Laetantium, in ædificandis animabus Augustinum: Basiliū in corrigendo; in consolando Gregorium, & in continguenda doctrina, atque instructione Ambrosium, & hoc modo reliquos, quos brevitatis causā non refero, sed lectorē remitto ad Sydonium Apollinarem hoc argumentum melius præsequentem, quod scriptis Claudijs Præbytero de Viennā applicavit, ac cum non minore proprietate de nostro Don Joséphio de Barzia Præbytero de Malacca, modò autem cum justa ratione de Toleto, cum sit filius sancte hujus Ecclesiæ, affirmari potest: audiamus Sydonium vivaciter illud referentem: *Jam si ad Sacrosanctos Patres pro comparatione unitatur, instruit ut Hieronymus; destruit ut Laetantius; adstruit, ut Augustinus: attollitur ut Hilarius: submititur ut Joannes, ut Basilius corripit, ut Gregorius consolatur, ut Orosius affluit, ut Ruffinus stringit, ut Eusebius narrat, ut Eucherius solitatis, ut Paulinus provocat, ut Ambrosius percoverat.*

Sæpè numero uititur Author ad clarioretū moralitatū explicationem similitudinibus, & parabolis, & quidem hac ex causa prout ipsemet in prologo primi tomī Excitoris sui Christiani declarat, ut Christum Dörtinum, & Magistrum nostrum imitetur, qui ejusmodi parabolis doctrinam suam illustravit juxta testimonium sancti Matthæi: *Et sine parabolis non loquebatur.* Simulque, ut eò clarius conceptus suos rūdibus inculcaret, postquam per textus doctis satisfecit, atque hoc modo propositionibus suis conciliat evidentiam, & vix non palpabilem intelligentiam, ac præsertim, quando adducit aliqua exempla rerum materialium, quæ se oculis nostris ostendunt, quibus auditores sibi attentos, & suavi efficacia convictos reddit: unde optimè meretur elogium, quo Sixtus Sennensis scripta sancti Gregorij extulit: *Tantaque de virtutibus, & virtutis efficacia loquitur, ut ea videatur non solum verbis, sed formis quodammodo visibilibus, & palpabilibus demonstrare.*

Nemini mirum videri debet, id Auctorem felicitet consecutum esse, ut ejus doctrina ubique celebretur, ac communī cum applausu recipiat, omnes enim obligaciones doctoris Ecclesiastici ad unguem impler, ordinatissimam vitam, & exemplares mores doctrinæ, quam verbis, vel scriptis tradit, conformando: hac in materia, ne humilitatem ejus, atque modestiam rubore suffundam, non ero fusior,

Cafiod. di-
vin. lect.
cap. 8.

Sydon.
Apolin. 1. 4.
Epist. 2.

Math. 13:
v. 34.

Sixtus Sen-
nens. I. 4.
fua Biblio-
thec. de S.
Gregor.

APPROBATIO.

omittere tamen nequeo, quod alij, qui ipsum noverunt, atque adierunt, sunt experti, qui unanimi ore deprædicant ejus solitudinem, silentium, compositionem in factis, & verbis, ita, ut nec ullum eorum notari possit, quod non sit vivum exemplum ad ædificandos auditores, quin tamen propterea se subtrahat exercitijs spiritualibus in utilitatem proximorum cedentibus, aut subterfugiat molestias in excipiendis Confessionibus preferendas ad consolationem ejus, qui ipsum expetierat, conformando se exemplari à sancto Isidoro Archiepiscopo Hispalensi de quodam genuino Ecclesiæ Doctore, atque Apostolico Prædicatore relato; audiamus Sanctum, qui suis verbis meam implebit obligationem, si cu[m] attentione, & Christiana pietate fiat comparatio: *Sacerdotis prædicatio operibus confirmanda est, ita, ut quod docet verbo, instruat exemplò, vera est illa doctrina, quam vivendi sequitur forma, nam nihil turpius est, quam si bonum, quod quisque sermone prædicat, explorare opere negligat, tunc enim utiliter prædicatio profertur, quando efficaciter adimpletur.* Tex-tum hunc non traduco, ne energia, aut ejus pulcherrimæ clausulae dissolvantur, applicatio quoque in re tam clara redundaret, hoc solum addam, famam per omnes Andalusiæ Provincias sparsam Toleti auctorem divulgasse, nunc autem Experi-entiam ipsam satis supérque loqui, ita ut cum regio Psalte dicere possimus: *Sicut audi-vimus, sic vidimus.* Cibibusque Granadensis reponere illud, quod Incole civitatis Sicas mulieri Samaritanæ, quæ jam converfa Christi Excellentias prædicabat: *Quia jam non propter tuam loquela credimus, ipsi enim audivimus.* Atque meus affectus adjungeret, quod Regina de Saba ad Salomonem dixit, quod Majorem in eo præsens invenerit sapientiæ prærogativam, quæ absens pet famam percepit: *Major est sapientia, & opera tua, quam rumor, quem audiri.*

Propter relatas itaque eximias dotes, simulque, quod liber hic nihil contra pu-ritatem fidei nostræ Catholicæ, & bonorum morum contineat, potest, & debet concedi licentia, ut typis mandetur. Et licet charitatis leges, prout nullus dubito, obligarent auctorem, ut prosequeretur publicationem aliorum librorum hac qua-litate insignium, consultius tamen foret, si prosecutio ejusmodi scriptorum præcep-tō rigorosō à Superioribus, & ad id auctoritatem habentibus promoveretur, omnia quippe cederent ad majorem DEI gloriam, Ecclesiæ sanctæ bonum, & Maxi-mam animarum utilitatem. Ita sentio. Toleti decimo quinto Mensis Februarij anno millesimo sexcentesimo octogesimo sexto.

Doctor Don Christophorus Ruiz
Franco de Pedroza.

LICENTIA ORDINARII.

NOs Doctor Don Ferdinandus Garcia Davila, & Carrillo Archi-Diaconus de Guadalaxara, Canonicus sanctæ Ecclesiæ Civitatis Toletanæ, Consiliarius Regiminis, Thesaurarius Major reddituum decimalium Inquisitor, & Vicarius Generalis in ista civitate, ejusque Archiepi-scopatu &c. per præsentes (prout Ordinarius istius Archiepiscopatus) datius licentiam Domino Doctori Don Josepho de Barzia, & Zambrana, Canonicu sanctæ Ecclesiæ hujus civitatis, ut typis mandare possit tomum secun-dum *Sermonum doctrinalium de Quadragesima.* Qui ex nostra commissione sunt re-visi, atque examinati, in quibus nihil inventum fuit, quod puritati nostræ sanctæ Fidei Catholicæ atque bonorum motum contrarium esset. Datum Toleti die de-cimo octavo Februarij anni millesimi sexcentesimi, octogesimi sexti.

Don Doct̄or Ferdinandus Garcia,
Davila, & Carrillo.

Ad Mandatum ejus

Don Michael Garcia Sacerdos Notarius
Apostolicus.

CEN-